



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn  
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones  
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

**Lugo, Juan de**

**Lvgdvni, 1666**

II. Vtrùm detestatio peccati præteriti sit actus absolutus & efficax.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)



8.  
Actus pœni-  
tentia an  
sine solam  
ad malum.

ex motiuo charitatis; de quo *disput. sequent.*

Eodem modo respondendum est ad illud, quod in præfati etiam controuertitur; an habitus pœnitentiæ habeat actum tendentem ad bonum; an omnes eius actus tendant in peccatū, & in malum? de quo P. Suarez, *sect. 2.* cuius sententiā impugnant multi ex recētoribus. Sed suppositis nostris principiis, res est facilis. Si enim solam velim, habitum pœnitentiæ non posse elicere actū sine ordine ad peccatū; facile potest concedi, quia etiam ante commissum peccatum, omnes eius actus videntur ordinari ad hoc quod vitetur peccatum: nam velle conseruare pacē cum Deo, velle fugere occasiones, & alia huiusmodi, idem est ac velle fugere peccatum, & offensam Dei. Si verò velint, omnes pœnitentiæ actus versari circa peccatum vt iam commissum; hoc licet possit de pœnitentia concedi sub denominatione pœnitentiæ; non tamen de ipso habitu in tota sua latitudine; vt vidimus *disput. præcedenti*: habet enim multos actus etiam ante commissum peccatum. An verò propter hos actus dandus sit ille habitus in Christo, & in Beatis, videbimus suo loco *disput. 9.*

9.

Denique ex dictis inferitur responsio ad illud dubium, an voluntas delendi peccatum, & voluntas satisfaciendi Deo; & propositum non peccandi de cætero, sint actus elicti ab habitu pœnitentiæ: Respondeo enim affirmatiue, quia hæc omnia continentur sub obiecto proprio pœnitentiæ: nam ad reparandam, & conseruandā pacem cum Deo, necesse est delere peccatum, satisfacere Deo, & non peccare de cætero: imò addo etiam in opposita sententia limitante obiectum pœnitentiæ ad bonum compensationis, posse hos actus elici ab habitu pœnitentiæ, & quidem de duobus primis non est dubium; quia velle compensare pro offensa est velle delere offensam, est velle satisfacere, &c. De proposito verò non peccandi posset esse difficultas. Sed adhuc de ipso videtur affirmandum, qui cum ipsum abstinere à peccatis sit materia apta ad cōpensandas priores offensas; non est dubium, quin pœnitentia possit ex amore compensationis eligere illam abstinētiā à peccatis futuris vt medium vile ad suum finem consequendum. Quamuis ergo detestatio vniuersalis de offensis præteritis non sit actus elictus pœnitentiæ in ea sententia; de actu verò propositi etiam vniuersalis circa offensas futuras, aliter dicendum est propter rationem adductam, ex qua potest desumi discrimen inter vtrumque actum: quia scilicet obiectum vnius potest eligi, vt medium aptum ad compensationem, non verò obiectum alterius.

10.

Disputant hinc, an actus pœnitentiæ sint naturales, vel supernaturales; de hoc tamen commodius dicemus infra *disputat. 6.* vbi de habitu ipso indicabimus an sit infusus, vel acquisitus? Nunc restat solum dubium de actu detestationis, an sit actus absolutus, & efficax, conditionatus, & inefficax, de quo *sect. sequenti.*

## SECTIO II.

*Vtrum detestatio peccati præteriti sit actus absolutus, & efficax?*

PRima sententia docet, 10. esse actum absolutū, & efficacem; ita videtur sentire Ioan. Medina: *Code de Pœnitentia tract. 1. quest. 1.* qui pro se affert Albertum, Alensem, & alios: quia obiectum illius actus, scilicet, non fuisse peccatum; non est impossibile simpliciter, & absolute, sed solum ex suppositione; cum quo stat, quod sit simpliciter & absolute possibile, ergo potest actus detestationis absolutus ad illud terminari. Quare hanc sen-

tentiam amplectuntur aliqui recentiores.

P. Vasquez 1. 2. *disput. 42. c. 4. & disput. 43. c. 3. & 1. tom. in 3. par. disput. 73. num. 9.* docet, nullum actum voluntatis esse conditionatum, sed omnes esse absolutos; quando autem dicuntur conditionati, & explicantur per verbum, *vellem*, non esse actum voluntatis, sed intellectus iudicantis, quem actum absolutum haberet voluntas nostra, posita illa conditione; quam sententiam retuli latius *disput. 25. de Incarnatione, 14. & sequentibus*: vbi dixi, negari non posse aliquos actus in voluntate, qui sint conditionati, non quidem in suo esse (hoc enim repugnat) sed qui tendant ad obiectum, amando, vel nolendo illud in statu conditionato, sicut intellectus habet actus absolute existentes, quibus affirmat obiectum nō absolute, sed sub conditione; hoc est, obiectum in statu conditionato. Potest ergo similiter voluntas affectū habere ad obiectum, quod apprehenditur bonum in statu conditionato, licet non apprehendatur æquē bonum absolute: & quidem eiusmodi actus voluntatis videmur explicare regulariter per verbum, *vellem*, sicut per aduerbium, *vrinam*; per quod non explicamus solum actum iudicij, sed affectum præsentem voluntatis: solum autem idem omnino explicare per *vrinam* & per *vellem*, vt ex vsu hominum constat.

Nec obstat argumentum Patris Vasquez, quod omnis actus voluntatis præsens debet dicere, *volo*, sicut actus visus, vel auditus, non dicit, *videm*, vel *audirem*: sed, *video*, vel *audio*. Ad hoc enim respondit loco citato *num. 11*, vbi attuli discrimen intellectus, & voluntatis à sensibus externis. Addere autem possumus, quod sicut intellectus affirmans aliquid sub conditione, verè affirmat, sed affirmat obiectum in statu conditionato: ita voluntas nunc dicit *volo*: sed non vult obiectum, nisi in statu conditionato; & hunc modum volendi explicare solemus per verbum, *vellem*.

Tertia ergo, & communis sententia docet, actū detestationis peccati præteriti esse quidem actum conditionatum, qui explicatur per illas voces, *vellem non peccasse si id fieri posset*, vt docent Suarez in præfati *disput. 3. sect. 3.* Coninck *disput. 1. dub. 2.* & alij communiter: & videtur expresse sancti Thomæ 1. 1. *quest. 13. art. 1. ad primum* & aliis in locis, quæ affert Suarez *vbi supra*. Ratio autem est, quia ad præteritum non datur potentia. Voluntas autem non potest absolute velle id, quod possibile non est; ergo non potest velle absolute, quod peccatum non fuerit, sed solum sub aliqua conditione. Hanc ergo communem sententiam retinendam, & amplectendam existimo, quæ ex solutione argumentorum magis explicabitur.

Obiiciunt primò, quia stultum est velle, & conari ad hoc, quod non fuerit peccatum ex suppositione, quod commissum fuit, vt docet S. Thomas in præfati *quest. 75. art. 1. ad 1.* quia impossibile hoc est: sed non minus impossibile est, quod peccatum præteritum ex suppositione, quod est præteritum, non sit præteritum etiam quacumque conditione posita, quia si ponatur non præteritū, eo ipso destruitur præteritio: ergo non minus stultus erit affectus, quo etiam ex suppositione illius possibilitatis, vellem coniungere negationem præteritionis cum præteritione. Hinc inferunt debere esse actum absolutum, quod nunc absolute volo negationem præteritionis peccati: hæc enim secundum se possibile est, & nullam dicit intrinsecam implicantiā contradictionis; licet ex suppositione, quod peccatum fuit non possit non fuisse.

Ad hoc argumentum facile respondetur. Primò etiam si sensus illius voluntatis esset ille, qui in ob-



atione supponitur scilicet: si esset possibile coniungere cum præteritione peccati quod non fuisset, id, vellem: adhuc actus ille non repugnaret, licet fortasse esset parum vilis. Dico, fore parum vellem, quia cum illa volitio terminaretur ad coniunctum ex præteritione, & non præteritione peccati; adhuc vellet ex vna parte peccatum fuisset; & licet ex alia parte vellet, illud non fuisset; hoc tamen non videtur sufficere, ut voluntas simpliciter auertatur a peccato: nam si aliquis diceret tentatione vexatus: ego vellem, si fieri posset, consentire, simul, & non consentire; peccare simul, & non peccare; iste quidem non ostenderet se sufficienter auersum a peccato: ergo similiter, qui circa peccatum præteritum vellet, quod fuisset simul, & non fuisset præteritum, non videtur sufficienter auerti a peccato præterito. Quidquid tamen de hoc sit, non videtur negandum, quod possibilis sit ille actus: quia licet adhuc posita illa conditione, obiectum maneret intrinsecè impossibile, cum adhuc includeret in suo cōceptu duo contradictoria, scilicet, præteritum peccatum: non tamen repugnat, quod aliquid intrinsecè impossibile aueretur sub conditione possibilitatis: quis enim prohibet, quod ego dicam, si ergo possem facere duo contradictoria simul, id facerem ad falsificandam regulam summamalicam? Ratio autem est, quia sicut sufficit bonitas, non absoluta, sed conditionata ad amandum obiectum sub conditione, sic sufficit ad hoc ipsum possibilitas sub conditione: quæ quidem expressè apprehenditur tunc, cum dico, si possibile esset; ergo apparet sufficienter obiectum voluntatis conditionatæ.

Ceterum, quia nunc sermo est de actu detestationis non solum vtcumque possibili, sed prudenti, & honesto: ideo ad argumentum secundò respondeo, sensum illius voluntatis conditionatæ non esse illum: si ego possem coniungere cum peccato præterito negationem præteritionis, id facerem sed hunc potius: si ego nunc haberem potentiam, ut peccatum illud non fuisset, id facerem. Itaque obiectum huius actus, quod volo, non est coniunctum negationi præteritionis cum peccato præterito, ut præterito seu ex suppositione, quod est præteritum: nec conditio, sub qua fertur, est potentia ad coniungendam præteritionem cum non præteritione, sed obiectum volitum est, peccatum non fuisset, quod quidem simpliciter, & absolute est in materia possibili, licet ex suppositione quod fuit, sit impossibile, conditio autem, quam appono, est, si ego haberem nunc potentiam non quidem ad coniungendam præteritionem cum negatione præteritionis, sed ad faciendum simpliciter, quod non fuisset illud peccatum, sicut habeo de facto nunc potentiam, & est nunc in mea potestate, quod non fuerit in Deo vnquam præsentiā absoluta de meo peccato hodierno. Hoc ergo sensu dicimus: si nunc esset in mea potestate, quod illud peccatum non fuisset; certe vellem, & facerem, quod nunquam fuisset commissum: & hoc est formalissimè illud detestari, & retractare.

Hinc infero primò, quomodo non sit stulta, & imprudens illa voluntas: quia licet feratur ad obiectum sub conditione impossibili: ipsum tamen obiectum secundum se; posita illa conditione possibilitatis, esset vndequeque bonum honestum, amabile, & possibile, scilicet peccatum illud non fuisset: imò est tale, ut obliget nunc ad sui amorem: vnusquisque enim debet, quantum est ex se paratus esse, & habere hunc animum, ut posset impedire præteritionem sui peccati, eam impedire.

Infero secundò, conditione sub qua id volumus, non esse possibilem, sed impossibilem: quia licet simpliciter, & absolute sit possibile, peccatum illud

non fuisset, atque adeo obiectum volitum sit simpliciter possibile: non est tamen possibile, quod ego nunc habeam potentiam ad ponendum, vel impediendum peccatum præteritum, nam potentia proxima completa ad peccatum meum hodiernum non est sola voluntas mea, sed voluntas cum cognitione sufficienti, & concursu Dei, & hoc totum in tali duratione reali hodierna pro priori naturæ existens cum duratione hodierna; ergo impossibile est, quod ego cras habeam potentiam completam, & proximam ad peccatum hodiernum ponendum, vel impediendum; nam potentia alio tempore existens non est potentia sufficienter constituta ad operationem hodiernam, ut constat. Cum ergo velim non fuisset peccatum sub ea conditione, si nunc haberem potentiam completam ad ponendum, vel impediendum peccatum hesternum, consequens est ut velim sub conditione simpliciter impossibili, quamuis obiectum volitum non sit simpliciter impossibile, sed solum ex suppositione.

Vnde infero tertio contra Auctores contrariæ sententiæ, non posse esse voluntatē absolutam, qua detestamur peccata præterita: quia licet obiectum secundum se sit in materia contingenti, & possibili: mihi tamen hic & nunc non est simpliciter, & absolute possibile; cum non habeam ego hic & nunc potentiam ad illud obiectum: habui quidem illam potentiam heri: nunc tamen iam non habeo talem potentiam, quæ ut dixi, includit existentiam in tali duratione reali, quæ duratio hodie non datur. Porro ad volendum absolute aliquod obiectum, per actum illum, qui explicatur per verbum, volo non sufficit, quod obiectum secundum se sit possibile; sed requiritur, quod subit mea potestate: possibile enim est secundum se, me volare, v.g. si Deus det mihi alas proportionatas: & tamen non possum dicere hic & nunc, volo volare, sed, vellem si possem imò etiam si Deus heri dedisset mihi alas, quibus possem volare; si tamen postea illas abstulit, non possum iam hodie dicere, volo volare, sed vellem quia licet hodie apprehendam, illud obiectum possibile pro die hesternā; non tamen pro hodierna, cum hodie non habeam alas, sed habuerim. Similiter ergo licet heri potuerim cum auxilio Dei, quod tunc habui, vitare peccatum & elicere actum bonum contrarium, & supernaturalem, quo seruare præceptum: hodie tamē non est mihi possibilis ille actus, nec illa adimpletio præcepti, cum iam non habeam illud auxilium, neque illud concursum Dei hesternum; ergo hodie non possum dicere, volo, sed, vellem seruasse heri præceptum.

Obiiciunt, illum affectum circa rem impossibilem semper manere imprudentem, & inhonestum, nisi per accidens propter ignorantiam, vel inadvertentiam excusetur: nam qui desiderat etiam per affectum inefficacem, & velleitatem, quod esset possibile id, quod est impossibile, eo ipso implicite desiderat, quod Deus non sit Deus: cum enim iuxta veriorē sententiam omnipotentia Dei habeat in crinse cam, & necessariam connexionē cum possibilitate creaturarum, ita ut si Leo, v.g. non esset possibilis, aut si chimæra esset possibilis, non esset hæc essentia Dei; consequens est, ut qui desiderat, chimæram esse possibilem, eodem affectu velit, quod non esset Deus: quod quidem etiam per affectum inefficacem velle est intrinsecè malū: non ergo debemus ponere actus virtutum in ordine ad obiectum impossibile, etiam per modum velleitatis, & voluntatis conditionatæ.

Respondeo Primò, nos non ponere actum detestationis qui sit affectus simplex ad obiectum impossibile, id enim quod vult est, quod peccatum non fuerit, quod quidem est simpliciter possibile, nec ex eo

19.  
Obiectum re-  
grationis  
est impossibile

20.



quod peccatum non fuisset, sequeretur, Deum non esse: hoc tamen ipsum volumus sub conditione impossibili, nempe, si nunc esset in me potentia ad impediendum peccatum hesternum: quam quidem conditionem impossibilem non volumus etiam affectu simplici, sed sub ea conditione, quam non volumus, volumus affectu conditionato aliquid simpliciter possibile, scilicet, peccatum non fuisse: nullo ergo modo volumus etiam implicite negationem Dei.

22. Respondeo secundo: posset etiam esse actus honestus, licet affectus tenderet ad ipsum impossibile, ut si v.g. vellem affectu simplici quod esset nunc in me potentia ad impediendum peccatum hesternum, quæ potentia impossibilis est, ut diximus. Neque enim ex hoc fieret quod vellet implicite destructionem, aut negationem Dei, cuius essentia habet necessariam connexionem cum impossibilitate omnium impossibilem. Posset enim voluntas taliter ferri ad illud impossibile, ut excluderet in ipso affectu illud malum: si v.g. dicat: si hoc posset esse possibile absque detrimento, aut negatione essentia, & perfectionis diuinæ, vellem, quod esset possibile, ad hoc, ut non fuisset peccatum hesternum, qui affectus nullo prorsus modo, nec implicite, nec explicite vult negationem, aut destructionem Dei; atque ideo, cum possibilis sit talis affectus, non est, cur damentur ut impij omnes simplices affectus circa obiecta impossibilia, quos viri pij, & sancti frequenter exercent, desiderando v.g. posse habere amorem infinitum erga Deum, posse attentione infinita diuinas perfectiones meditari, & alia similia.

23. Ex dictis ergo, ad titulum questionis propositæ respondendum breuiter est, detestationem posse comparari, vel in ordine ad præteritum, vel in ordine ad præsens, & futurum. Si comparatur ad præsens, & futurum, est efficax, & absoluta; quia ita habet odio peccatum, ut efficaciter velit, illud non esse. Si vero comparatur ad præteritum, est conditionata: non enim dicit: *Volo non fuisse peccatum: sed, vellem, si in mea potestate nunc esset, non fuisse peccatum*. Dicitur tamen simpliciter odium efficax. Primum, ut distinguatur à simplici odio, seu displicentia, quæ etiam potest dari cum actuali affectu ad peccatum: nam per odium inefficax solum dicimus: vellem non peccasse, nec peccare, si inde non sequeretur mihi alia incommoda, quæ nolo subire: at vero per odium efficax dicimus: vellem quantum ex me est, non peccasse, si id esset nunc in mea potestate: itaque hoc odiū solum includit conditionem, quæ non est in mea potestate: volo autem facere, quantum ad me attinet, ideo dicitur efficax: id est efficax, quantum ex me est. Item dicitur efficax quoad effectum: quia quāvis re vera non possit facere, quod peccatum non fuerit: ex Dei tamen acceptance habet valorem, & vires ad delendam peccatū, perinde ac si non fuisset. Denique est efficax quoad affectum; quia posita illa detestatione, ita ut iam homo non censeatur perseuerare habitualiter in illa priori voluntate peccandi; quæ omnia non habet odium inefficax peccati, quod includitur in simplici displicentia.

## DISPUTATIO V.

### De actibus Pœnitentiæ necessariis ad hominis iustificationem.

SECTIO I. *Quid intelligatur per contritionem perfectam?*

SECTIO II. *Utrum contritio debeat detestari peccata super omnia.*

SECTIO III. *Quomodo contritio doceat de peccato supra malum pena?*

SECTIO IV. *Utrum contritio detestetur unum peccatum supra alia?*

SECTIO V. *Utrum contritio detestetur magis peccatum actuale, quam originale?*

SECTIO VI. *An contritio debeat esse vniuersalis de omnibus peccatis.*

SECTIO VII. *Qualis debeat esse contritio quoad intensiorem, & alias circumstantias. Vbi, an sufficiat sine dilectione, & proposito?*

SECTIO VIII. *Utrum contritio perfecta habeat semper coniunctam remissionem peccati, etiam ante receptionem actualem Sacramenti?*

SECTIO IX. *De contritione imperfecta, seu attritione.*



Q V I M V R generaliter de actibus vel elicitis, vel imperatis à penitentia ad placandum Deum, & delendam culpam grauem: aliqui enim fortasse actus ad hoc requiruntur, quos penitentia non potest elicere, sed solum imperare: neque est inconueniens, virtutem inferiorem imperare aliquando actus virtutis superioris, quando ij sunt necessarii ad finem virtutis interioris, sicut ex misericordia erga proximum possum velle elicere actum religionis, orando, vel vovendo, ut impetrem à Deo proximi sanitatem. Hoc ergo supposito, videndum est in speciali, qui, & quales debeant esse ij actus, qui ad iustificationem requiruntur. Potest autem iustificatio haberi vel in Sacramento, vel extra Sacramentum, & in utroque casu procedit disputatio, supponendo, extra Sacramentum requiri contritionem perfectam; intra Sacramentum vero sufficere imperfectam, quæ appellari solet attritio.

## SECTIO I.

*Quid intelligatur per contritionem perfectam?*

Contritionis nomine intelligimus dolorem de peccatis non vrcumque, sed illum, qui propter suam perfecti onem disponit vltimò ad gratiam iustificationis etiam extra sacramentum, nam licet nomen contritionis aliquando latius vsurpetur, prout extenditur etiam ad contritionem imperfectam, seu attritionem, in quo sensu dicere solemus, in Sacramento penitentia debere reperiri contritionem internam, & confessionem externam: iam tamen apud Theologos obtinuit, quod contritio solum supponat pro illo primo perfecto dolore: secundus vero non contritio, sed attritio appellatur, de qua postea seorsim agemus. De contritione ergo in primis dubitatur, quale motuum debeat habere?

Aliqui Theologi docent, sufficere ad contritionem, quod dolor sit vel ex motu charitatis, vel ex motu obedientia; vel religionis vel penitentia: scilicet, quia peccatum displicet Deo, quem diligimus, vel quia est contra eius præceptum, cui debemus obedire, vel contra eius cultum, vel denique quia est contra ius Dei, quod tenemur obseruare, quod dicunt esse motuum penitentia; & idem à fortiori possent dicere de motu penitentia in nostra sententia, scilicet, quia peccatum est offensa Dei, & per consequens destruit pacem cum Deo, eumque nobis reddit rationabiliter amicum. Hanc sententiam dicit esse probabilem. P. Suar. disp. 4. sect. 2. n. 1. & sibi aliquando placuisse cū aliis Theologis, quos suppresso nomine refert, & licet P. Suar.